Hieronymi Chronicorum

codicis Floriacensis fragmenta

Leidensia Parisina Vaticana

phototypice edita

Praefatus est Ludovicus Traube

LUGDUNI BATAVORUM
A. W. SIJTHOFF
1902

Codices Graeci et Latini

photographice depicti

duce SCATONE DE VRIES
Bibliothecae Universitatis Leidensis Praefecto

SUPPLEMENTUM I

Hieronymi Chronicorum codicis Floriacensis fragmenta Leidensia Parisina Vaticana

LUGDUNI BATAVORUM
A. W. SIJTHOFF
1902

HIERONYMI CHRONICORUM

codicis Floriacensis fragmenta

LEIDENSIA PARISINA VATICANA

phototypice edita

Praefatus est LUDOVICUS TRAUBE

LUGDUNI BATAVORUM
A. W. SIJTHOFF
1902

Bibliothecae Bodleianae

CHARTARUM ET MEMBRANARUM THESAURO ORNATISSIMO

TRECENTOS ANNOS

TOT TANTISQUE GAZIS CONDENDIS PROMENDIS FELICITER IMPENSOS

D. IX M. OCTOBRIS A. MCMII

GRATULANTUR

LUDOVICUS TRAUBE MONACENSIS

SCATO DE VRIES LEIDENSIS

PRAEFATIO

Ars palaeographica eo et utilior fit et audacior, quo maiorem progressum ars photographica facit. Iam codices, ubicumque exstant, domi commode iudicatur, quali manu quando scripti sint, speciminibus inde sumptis et in propriis mensis multo opportunius explicatis, quam umquam licuit in alienis. Quin etiam toti libri per imagines repraesentantur, novae bibliothecae fiunt umbraticae, nec situs nec tinea amplius timetur, ubi litterarum monumenta tradita quondam tenuissimae materiae iam lapidibus efficiuntur perenniora. Nec solum longinquos codices ad manum tamquam praesentes intueri possumus aut invicem eos comparare aut excutere unumquemque, quamvis late ipsa exemplaria inter se distent et distantia restent, sed coepimus etiam redintegrare in unumque corpus rursus recomponere libros divulsos, si modo hic illic partes interitum subterfugerint. Ita homines resarcimus temporum iniurias: desierunt libri habere quae per vulgi ora feruntur fata singularia. Haec lux exorta est, ex quo tempore ad codices restituendos et perpetuandos uti didicimus luce.

Unum restat, ut tanta ars perfecta sit: quem ad modum nunc reddit formam, debet reddere etiam naturales colores. Tum ad umbras pallidarum litterarum, quamvis consentire videantur cum medii aevi quam sibi fingunt indole, ipsa vita accedet; vere redipiscemur varios illos pisces aves hederas fimbrias capita caudas, totum denique id genus splendorem eamque hilarem iocunditatem, qua iam labente antiquitate codices florere coeperunt et qua longe superatur quicquid in libris ornandis temptant magis quam praestant hodie

artifices. Sed huius quoque rei inventionem qui afferat dies veniet. Ipse sol invictus aliquando subiugabitur totus: habebimus photographon multicolorum.

Interim, dum bene speramus, pergimus duce Scatone de Vries codices Graecos et Latinos photographice depingere, ut id facere ne intermittamus, quod nostri aevi esse videatur, scilicet nova arte eaque tantum non omnibus numeris absoluta et ab interitu vindicare monumenta saecularia et, si quorum non exstent nisi passim dissipatae reliquiae, eas ordinatim recolligere et in pristinum statum postliminio reducere.

Scato igitur de Vries, cum quae novissima fieri iussisset photographa mihi vellet exhibere et ut eorum editioni, quae quod prodit omne ipsius est meritum (nam et primus consilium iniit edendi haec folia et postea totam rem unus optime administravit), a me tamen postularet, praefationem praemitterem, neque amico volui deesse neque laborem detrectare quamvis de inproviso mihi iniunctum.

Hieronymi Chronicorum codicis Floriacensis antiquis uncialibus scripti folia, quae nunc sola superesse videntur, numero viginti duo vel foliorum paria undecim (bina enim folia adhuc inter se cohaerent), pleraque post Thesaurum temporum ab Scaligero conditum paulatim reperta sunt. Vetustatem pertulerant, postquam antiquus liber esse desiit, colligata cum recentioris aevi codicibus tribus:

duo folia cum Reginae codice lat. 1709 in bibliotheca Vaticana, quo in codice foliorum numerum habebant 34 et 35;

quattuordecim cum bibliothecae publicae Parisinae codice lat. 6400 B, ubi etiam nunc folia sunt 1 2 3 4 5 6 7 8 285 286 287 288 289 290;

sex Lugduni Batavorum in academia cum codice Vossiano lat. Q. 110 tamquam huius codicis folia 167 168 169 170 171 172 [1]); nunc seorsum habentur ut codex singularis, qui vocatur Vossianus lat. Q. 110[a].

[1]) Primus haec sex folia, quae fortasse agglutinata fuerant aliorum codicum tegumentis, cum codice postea Lugdunensi coniunxisse videtur Vossius. Nam haec de utroque ab altero etiam tunc separato Pontacus in Chronicorum editione (Burdigalae, a. 1604, pag. 29): 'Petavinum 'Ms. (i. e. Voss. lat. Q. 110) minio illustratum cum Chronicis Eusebii et Hieronymi, sine Prospero, 'quod D. Paulus Petavius V. C. in suprema Parisiensi curia Senator regius eruditissimus, et sedulus 'antiquitatis indagator, ac veterum librorum promptuarium, pro suo erga literatos studio, Parisiis ad 'nos perferendum dedit. Hoc exemplar prae caeteris propius accedit ad Fuxense. — Petavii Fragmenta 'Ms. (i. e. Voss. lat. Q. 110[a]): Schedae aliquot antiquissimae membranaceae unius aut alterius Ms. Eusebii 'et Hieronymi, quae codice carie et vetustate consumpto, superstites remansere, eiusdem V. C. Petri (sic errans posuit ipse Pontacus) 'Petavii beneficio ad nos delatae.' Hinc explicatur, cur Iosephus

Unius ea et eiusdem codicis esse primus perspexit Alfredus Schoene, vir post Scaligerum praeter Mommsenum de Chronicis optime meritus [1]). Idem Schoene, cum folia Parisina primus adhiberet, quorum primo iuxta marginem adscriptum est CODEX BEAT<I> BENEDICTI FLORIAC <ENSIS MONASTERII>, de origine codicis vetusti primus recte iudicavit. Antea poterat dubitari [2]); nam ex recentioribus libris, quibuscum vetusti reliquiae conexae sunt, Vossianus integrum Chronicorum exemplar Miciaco oriundum continet; Vaticanus totus e variorum codicum fragmentis contexitur et Floriacensium et Ferrarensium [3]). Sustulit demum dubitationem Parisinus, qui quamquam et ipse miscellaneus est et ex fragmentis compositus in provincia Aurelianensi plurifariam collectis [4]), hanc tamen partem diserte addicit Floriaco.

Habemus folia viginti duo; scimus librum esse Floriacensem. Quod possumus ultra procedere atque adeo deperditam veteris libri partem paene manibus attrectare, faciunt saeculo nono fidelissime facta apographa duo, quae fors fortuna pro antiqui codicis iactura clementer nobis indulsit. Etiam hoc Alfredus Schoene scite iam expedierat.

Sunt libri Turonensis et Miciacensis.

Turonensis, qui de patria ablatus deinceps factus est primo Collegii Claromontani, deinde Meermani, deinde Thomae Phillipps (n. 1872), nuper regiae bibliothecae Berolinensis (n. 126), a Valentino Rose [5]) et Alfredo Schoene [6]) accurate descriptus est, nisi quod non solum ex adnotatiunculis in codicis marginibus a Rosio inventis eum scriptum esse Turonibus, sed idem etiam clarius elucet e genere scripturae, quod partim minusculum partim semiunciale

---

Scaliger, qui de codice haec ait (in Thesauro temporum, animadv. pag. 6, Lugduni Batavorum a. 1606): 'tertium exemplar ex amplissimi viri Pauli Petavii Senatoris Parisiensis archetypo 'descriptum manu Iacobi Gillotii viri amplissimi, summa eruditione, et singulari humanitate, 'Senatoris Parisiensis', tacuerit de foliis. Cf. Schoene, Weltchronik pag. 26.

[1]) Eusebi Chronicorum libri duo, edidit Alfred Schoene, vol. II, Berolini 1866. Alfred Schoene, Die Weltchronik des Eusebius in ihrer Bearbeitung durch Hieronymus, Berolini 1900.

[2]) Sicut Miciacensem eum esse Chatelain credebat, ad Uncialis scripturae tab. XIV 1, qua in tabula folia Lugdunensia 170^{v} et 171 repraesentantur.

[3]) Cf. Reifferscheid, Bibliotheca patrum latinor. italica I 414; Traube, Poetae aevi Carolini, III 524; Rand, Jahrbuecher f. klass. Philologie XXVI. Supplementband, pag. 445.

[4]) Boethii commentario fol. 9 inscriptum legitur *sancti Benedicti ad Ligerin* (Schoene, Weltchronik pag. 27); sequitur Vita sancti Germani Autissiodorensis (Neues Archiv d. Gesellschaft f. aeltere deutsche Geschichtskunde IV 530).

[5]) Die lateinischen Meerman-Handschriften, Berolini 1892, pag. 276.

[6]) Weltchronik, pag. 30.

ubique artem a solis Turonensibus librariis medio nono saeculo excultam prodit.

Miciacensis per Petrum Danielem (quod tamen non certum est), Paulum Petavium, Isaac Vossium in Lugdunensem bibliothecam venit. Ubi nunc est Vossianus lat. Q. 110, idem scilicet, qui fragmenta Floriacensia ad nos usque perferendi munere functus est. Scriptus est circa idem tempus atque Turonensis.

Hi duo libri in lectione, in canonum et historiarum distributione, in versuum paginarum foliorum quaternionum numeris, in rebus omnino maximis minimis et alter cum altero et uterque cum veteribus membranis adeo concordant, ut absolutissimi consensus ratio non possit latere. Quamquam propter summas in describendo difficultates et inde natam in archetypo paene depingendo operositatem Chronicorum multo magis inter se congruere solent quam simpliciorum operum codices, quos minus scrupulose alterum ad alterum descriptos ab auctoris exemplari magis magisque videmus desciscere [1]).

Adhibitis libris Turonensi et Miciacensi iam totum codicem Floriacensem enarrabimus, qualis fuerit.

Quaternionum et foliorum ordo erat hic:

Floriacensis restituti		Turonensis		Miciacensis		Floriacensis
quaterniones	folia	quaterniones	folia	quaterniones	folia	folia quae supersunt
I Hieronymi et Eusebii praefationes [2])	1–8	I	1–7 [3])	I [4])	1–7	
II vacabat fol. 9, incipiebant Chronica a fol. 9v	9–16	II	8–15	I	8	
				II	9–15	
III	17–24	III	16–23	II	16	
				III	17–23	

[1]) Chronicorum codex Trevirensis Karolo Magno imperante scriptus (nunc Berolini Phill. 1829), qui et ipse in priore quidem parte easdem ac Turonensis et Miciacensis habet paginas, propter lectionis diversitatem e codice Floriacensi tamen non est descriptus; sancti Amandi codex (nunc Valentianis 495) etiam magis consentiens, si quidem e Floriacensi descriptus est, hic adhiberi non potest, ut qui ante saeculum octavum sit descriptus, prius scilicet quam codicum non licenter describendorum ars coepta esset exerceri, et etiam altero Chronicorum exemplo inter describendum assumpto.

[2]) Scriptae opinor per binas columnas, ut in Trevirensi et in Turonensi et quamvis recenti manu in Bodleiano. Quota pagina vacua relicta fuerit, prima an ultima an plures, incertum.

[3]) Folium octavum vacuum relictum et excisum; singulae paginae bipertitae.

[4]) Incipiunt praefationes longis versibus scriptae a folio tertio; vacat folium octavum rectum; in eodem folio verso incipiunt Chronica, unde quaterniones a Turonensi et Floriacensi singulis foliis differunt, quamvis paginarum numeri concordent. A Floriacensi igitur hac in re Turonensis propius abest.


Floriacensis restituti quaterniones	folia	Turonensis quaterniones	folia	[illegible] quaterniones	folia	[illegible]
IV	25—32	IV	24—31	III	24	
				IV	25—31	
V	33—40	V	32—39	IV	32	
				V	33—39	
VI	41—48	VI	40—47	V	40	42 et 47 = [illegible];
				VI	40—47	et 35
VII	49—56	VII	48—55	VI	48	totus quaternio = Paris. lat.
				VII	49—55	6400 B fol. 1—8
VIII	57—64	VIII	56—63	VII	56	57 58 59 62 63 64 = Paris.
				VIII	57—63	lat. 6400 B fol. 285—290
IX	65—72	IX	64—71	VIII	64	
				IX	65—71	
X	73—80	X	72—79	IX	72	
				X	73—79	
XI	81—88	XI	80—87	X	80	
				XI	81—87	
XII	89—96	XII	88—95	XI	88	92 et 93 = Lugd. Voss. lat. Q.
				XII	89—95	110 fol. 167 et 168
XIII	97—104	XIII	96—103	XII	96	
				XIII	97—103	
XIV	105—112	XIV	104—111	XIII	104	
				XIV	105—111	
XV	113—120	XV	112—119	XIV	112	
				XV	113—119	
XVI	121—128	XVI	120—127	XV	120	
				XVI	121—127	
XVII	129—136	XVII	128—135	XVI	128	
				XVII	129—135	
XVIII	137—144	XVIII	136—143	XVII	136	
				XVIII	137—143	
XIX	145—152	XIX	144—151	XVIII	144	
				XIX	145—151	
XX	153—160	XX	152—159	XIX	152	153 156 157 160 = Lugd. Voss.
				XX	153—159	lat. Q. 110 fol. [illegible] 171 172
XXI	161—168 [1]	XXI	160—167 [2]	XX	160	
				XXI	161—167 [3]	

[1]) Desinebant Chronica in fol. 167ʳ; fol. 168 colophoni erat reservatum.


[2]) Fol. 167 scriptura vacat.

[3]) Fol. 167 non perscriptum et deletum.


Pertinebant igitur Vaticani codicis folia ad sextum quaternionem ita:




E foliis Parisinis prioribus constabat septimus, id quod numerus *VII* in imi folii 8v angulo dextro ad vetustiorem modum positus confirmat:




Posteriora eiusdem libri folia hanc seriem continuantes in octavo quaternione, cuius signum in folio 290v conspicitur, sic erant constituta:



E sex foliis Lugdunensibus duo ad duodecimum quaternionem revocanda sunt:



quattuor ad vigesimum:



Scripturae genus erat unciale, sed grandius in regnorum canonibus, minutius intra rerum gestarum limites [1]). Accedebant ad verba hic illic insignienda litterae capitales, cursivae ad corrigenda vel supplenda.

Raro adhibebantur compendia. Pro *m* in extremis versibus librarii singulas lineolas iuxta vocales antecedentes admittebant, numquam pro *n*;

[1]) Minutiores quae erant in Floriacensi unciales in Miciacensi et Turonensi redduntur minuscula scriptura; grandiores item unciali in Miciacensi, in Turonensi plerumque semiunciali.

b. pro *-bus* ponebant, *q.* pro *que*, *or.* interdum *-rum* significabat. Nomina sacra breviabant ad normam vulgarem; quamquam in schedis superstitibus non occurrit nisi *xps* et inde *xpi.ani* (i. e. *Christiani*).

Inter minium et atramentum in canonibus alternabant; illo praeterea utebantur et in titulis et in locis quibusdam notabilioribus [1]).

Membranae tenues erant.

Sed haec hactenus; nam ex ipsis photographis, quae exemplorum modos quam religiosissime conservent, cetera per se apparebunt.

Quaeritur, talis codex quo tempore fuerit scriptus.

Ego cum aetatem codicis sciscitor, statim me ad compendia verto, quorum consideratio in arte nostra plurimum solet conferre. Desunt fere in Floriacensis foliis superstitibus. Quae adsunt et quae possunt adfuisse (nam qui *xp̄s* admisit, certe non sprevit *ih̄s sp̄s d̄s*; incertum tamen, qua pro *domino* nota et num quibus usus sit ubi *spiritus* diceretur *sanctus* et *dominus noster*), ea eiusmodi sunt, quae sicut sexto saeculo conveniant, sic possint referri iam ad quintum et quartum. Hieronymi enim operum codices vetustissimi licet penitus nondum sint perquisiti, qui tamen innotuerunt, compendiorum Christianorum tam aequabilem usum et eum iam ad posteriorem quae nobis videtur normam praebent exactum ut, quod post Hieronymum tanta breviandi constantia in Italia obtinuit et Afrorum libidinem superavit, haud sciam an recte attribuamus ipsius auctoritati, qui in hac quoque re artem sit subsecutus Origenis. Adice, quod etiam Philocalus, Damasi papae quadratarius et librarius artifex, Hieronymi aequalis, non solum *xp̄i* [2]), sed etiam in fine versus *parentū* pro *parentum* ne in lapide quidem ponere dubitavit. Haec lineola, quamquam profecta est a *ny* littera in graecis libris similiter notata, in Latinis tamen maioris vetustatis signum est, ubi nondum aut promiscua figura aut distincta *n* praeter *m* significat.

Compendia historiam suam habent; item apicum formae, sed minus perspicuam, minus mihi exploratam. Feliciter saltem hoc contingit, ut Hieronymi codicum magna copia suppetat etiam maiusculis litteris scriptorum, quibuscum folia Floriacensia iuvet utique comparare. Facere huc videntur, cum saeculo sexto certe non sint recentiores, uncialibus et semiuncialibus scripti hi:

---

[1]) Cf. Schoene, Weltchronik, pag. 48.

[2]) Cf. Ihm, Rheinisches Museum L 197; idem ad Damasi carm. 8, 4; C. Caesar, Observationes ad aetatem titulorum lat., Bonnae 1896, pag. 3.

Hieronymi codices uncialibus scripti:[1])

Epistularum	Neapolitanus VI D 59	cf. Monument. palaeogr. sacr. tab. VI.
adversus Iovinianum	Veronensis XVII (15)	cf. Maffei, Istoria teologica tab. I 3; Chatelain, Uncialis scripturae tab. XXI.
de viris illustribus cum additamentis Gennadii	Vaticanus reginae lat. 2077 [2])	cf. Hieronymus und Gennadius de viris illustrib. herausgegeb. v. Bernoulli tab. I sq.; praeterea Zangemeister et Wattenbach, Exempl. tab. IV, et Chatelain, Paléographie des class. lat. tab. XXXII.
in Ecclesiasten	Herbipolitanus Mp. theol. Q. 2	cf. Chroust, Monument. palaeogr. fasc. V tabb. 2 et 3.
in Ieremiam	folia 21—27 in codice Aurelianensi 169	cf. Chatelain, Uncialis scripturae tab. XXVII.
in Ezechielem	fragmentum Gottingense in codice Morb. 13 [3])	
Chronicorum	folia, de quibus agimus, Floriacensia	
—— ——	Bodleianus Auct. T 2, 26, de quo mox dicetur	
Prophetarum	folia rescripta in Vaticano lat. 3281 [4])	cf. Fragmenta veteris testamenti ed. Gustafsson, Helsingfors a. 1881, tab. unic.
Euangeliorum	Harleianus 1775	cf. Palaeographical Society tab. XVII; Ancient Manuscripts lat. tab. III; Kenyon, Facsimiles of Biblical Manuscripts tab. IX.

[1]) Longis versibus omnes praeter Chronicorum codices et Virorum illustrium Vaticanum.

[2]) Est saeculi sexti exeuntis, cf. Mommsen ad Chronic. min. I 749.

[3]) In Gallia, opinor, scriptum saec. VI exeunte. Innotuit mihi fragmentum e catalogo Guilelmi Meyer Spirensis, qui idem amicissime misit photographon.

[4]) Cf. P. Corssen, Bericht über die lat. Bibelübersetzungen pag. 73; Oesterley, Studies in the Greek and Latin Versions of the Book of Amos, Cantabr. a. 1902.

Hieronymi codices semiuncialibus scripti [1])

Epistularum	fragmentum in codice Gandavensi 246	cf. Chatelain, Uncialis scripturae tab. LXXVI.
adversus Iovinianum	folia aliquot in codice Lugdunensi 519	
de viris illustribus cum additamentis Gennadii	Bambergensis B IV 21	cf. Traube, Palaeographische Forschungen I, tab. I.
	Veronensis XXII (20) [2])	cf. Chatelain, Uncialis scripturae tab. LXVII 1.
in Ieremiam	Lugdunensis 397 + Parisinus n. acq. lat. 602 [3])	cf. Album paléographique tab. IX.
Prophetarum	folia rescripta in codicibus Sancti Galli 193 et 567.	cf. Chatelain, Uncialis scripturae tab. LXIV.
Euangeliorum	fragmenta in codicibus Sancti Galli 1395, S. Pauli Carinthiani XXV d. 65, Sangallensi Vadiano 292, Turicensi bibliothecae urbicae C 79 b [4]).	cf. Chatelain, Uncialis scripturae tab. LXVI.

[1]) Longis versibus omnes praeter Euangeliorum fragmenta Helvetica et Austriaca.

[2]) Est sexti medii, cf. Mommsen ad Librum pontificalem pagg. VIII et XXXII.

[3]) Cf. Bibliothèque de l'École des chartes 56, 645. Continet etiam folia uncialibus scripta.

[4]) Cf. Chatelain, Journal des Savants a. 1902 pag. 271. Qui folia Carinthiana cum Sangallensibus primus recte coniunxit, sed errare mihi videtur, cum dicat: 'deux feuillets du même volume sont en la possession de la Société des 'Antiquaires de Zurich.'

In his codicibus duplex scripturae genus occurrit; id quod facile explicatur, cum ipso saeculo sexto vel quinto exeunte (i. e. multo post Hieronymi mortem, sed dum opera eius lectitantur et sedulo describuntur) litterae ad libros Christianos describendos assumptae sint semiunciales et in uncialium locum coeptae substitui. Ipse Hieronymus vel potius antiquarii ab eo conducti non est dubium quin unciali litteratura, quae a quarto saeculo frequentabatur et mox facta erat vere ecclesiastica, hactenus sint usi, ut si quid esset distinguendum, ad pristina alphabeta confugerent. Velut in libro Esther, cum scriptor historiae tenorem interruperat, aut contra Iovinianum, ubi induxerat loquentem adversarium. Quibus locis nono saeculo librarii et Turonenses multi (in libro Esther) et unus[1]) Ambianensis (adversus Iovinianum), quod semiunciales inter minusculas aut cursivas inter minusculas vel unciales posuerunt, in archetypis mihi videntur aut unciales grandiores invenisse aut capitales; quod idem factum est in Chronicis.

Rubrum colorem, ut et hoc in transcursu addam, ipse Hieronymus amabat scribisque praeceperat in praefatione et Euangeliorum[2]) et Chronicorum[3]).

Hic necesse esset subsistere. Nam alia argumenta, quibus tempus definiatur accuratius, in Floriacensi quidem libro deficiunt. At possumus ea ex Bodleiano assumere, qui et Floriacensi est scriptura simillimus et pronior disquisitioni.

Codex nunc Oxonii in bibliotheca Bodleiana (Auct. T 2, 26), olim in collegio Claromontano Parisiis[4]), quattuor partibus constat, quarum prima (quattuor quaterniones a manu Francogallica saeculo XV scripti, quibus Chronicorum initium suppletur) et ultima (Hieronymi continuatio a Marcellino comite edita, in hoc libro mutilata et in a. 548 finiens, uncialibus scripta et

---

[1]) Nunc Bambergensis B V 13, quem qui bibliothecae praeest, Iohannes Fischer amicus, nuper mihi monstravit.

[2]) Hieronymus papae Damaso: *singulis vero euangeliis ab uno incipiens usque in finem librorum dispar numerus increscit. hic nigro colore perscriptus sub se habet alium ex minio numerum discolorem, qui ad decem usque procedens indicat, prior numerus in quo sit canone requirendus* (Patrolog. lat. ed. Migne XXIX 526).

[3]) Hieronymus Vincentio et Gallieno: *unde praemonendum puto, ut prout quaeque scripta sunt, etiam colorum diversitate serventur, ne quis inrationabili aestimet voluptate oculis tantum rem esse quaesitam et, dum scribendi taedium fugit, labyrinthum erroris intexat. id enim elucubratum est, quo regnorum tramites, qui per vicinitatem nimiam paene mixti erant, distinctione minii separarentur et eundem coloris locum, quem prior membrana signaverat, etiam posterior scriptura servaret* (ed. Schoene pag. 2, 26).

[4]) Cf. F. Madan, Summary Catalogue of Western Manuscripts in the Bodleian Library, IV 441.

ipsa, sed recentioribus, quarum imago apud Mommsenum invenitur, Chronic. minor. vol. II tab. I et II) ad hanc quaestionem non pertinent. Secunda pars, quae centum tredecim foliis charactere unciali Floriacensium foliorum persimili vetus Chronicorum exemplar nec integrum et multis additamentis in marginibus cursiva manu adstructis complectitur (cf. imaginem in Palaeographical Society II 129), et tertia, quae ab eadem manu cursiva scriptam continet recapitulationem (cf. imaginem Pal. Soc. II 130), sic se excipiunt inter seque cohaerent, ut pars uncialis cursiva parte aliquanto fieri nequeat quin sit vetustior. Atqui recapitulatio a. 442 facta, in Bodleianum librum Mommseno iudice transscripta illa quidem ex priore exemplo, cum hic sine ullo supplemento nihilo minus exhibeatur, archetypo suo non potest multo recentior esse. Cursivae ergo scripturae non longe a vera ratione aberrabimus cum annum assignabimus circiter 450 p. Chr., quamquam quae similia exempla habemus sexti potius saeculi sunt. Quod si est, sequitur, ut uncialis scriptura intra a. 400 et a. 450 collocanda sit non solum quae in Bodleiano invenitur, sed etiam quae in Floriacensi. Uterque quod litterarum forma usque adeo consentit, alioquin ab altero non nihil discrepat, eo satis explicatur, quod, cum iam vivo Hieronymo multa Chronicorum exemplaria circumferrentur, non ex archetypo omnia fluxerunt eodem. Tertius Chronicorum liber saeculo quinto scriptus illud exemplar erat, quod codex Trevirensis reddit, ipse nono saeculo scriptus.

Codicem tantae aetatis — Floriacensem dico — per se patet non esse scriptum in monasterio Gallico, sed eo aliunde apportatum. Et inscriptio sollemnis, quae sane docet a saeculo, quo scripta est, nono eum sancti Benedicti fuisse, hoc est asservatum esse in monasterio Floriacensi (hodie Fleury vel Saint-Benoît-sur-Loire), ubi tunc Benedicti abbatis Casinensis ossa iacebant, ab iis differt notis, quae antea eorundem armariorum libris inscribi solebant. Inter quos licet non defuerint in ipso monasterio etiam scripti, in universum tamen sanctus Benedictus Floriacensis non eo nomine praeclarus est, quod scriptorium apud eum iam antiquitus florebat, sed quod veteribus libris multis ex Italia et Hispania contractis novisque descriptis ad exempla alibi latentia bibliothecam inde a saeculo octavo habebat electissimam. Sic solus possedit Sallustii historiarum codicem antiquissimum, cuius fragmenta in bibliothecis Vaticana Berolinensi Aurelianensi etiam nunc supersunt; sic Pomponium Melam et scripta quaedam de rebus Romanis minora sexto saeculo a Rusticio Helpidio Domnulo v. c. Ravennae emendata si minus ipsa

at exemplum inde nono saeculo factum, quod unicum ad nos pervenit. Talibus libris adnumerandus Hieronymus Floriacensis. Venit ex Italia, aequiperat Sallustium. Scripturam et ipse et Bodleianus ita repraesentant Italicam, ut Bernensis et Valentianensis Gallicanam. Ubinam in Italia scripti sint, nihilo magis scimus, quam quando pristinam sedem reliquerint. Qui Floriacum postea latus est, septimo saeculo ibi cum descriptus est codex nunc Bernensis 219[1]), nondum videtur adfuisse. Adfuit, ut vidimus, nono. Tum etiam monasteriis vicinis ad describendum commodatur, ut Turonensi et Miciacensi.

Sed antequam descriptus est, a grammatico quodam cum altero Chronicorum exemplo, quod *novum* ab eo nota Tironiana significabatur[2]), collatus est multisque locis varia lectio ei apposita[3]); qualem in his foliis superstitibus reperimus: Reg. 34, Paris. 1^{v}, 4, 6, 7^{v}[4]), Lugd. 167, 168, 168^{v}, 169^{v}. Potest id Floriaci factum esse, ubi nota erat ars Tironiana[5]). Potest etiam factum esse Turonibus vel, in proxima Floriaci vicinitate, Miciaci.

Ad medium extremumque fluvium Ligerem vel haud procul inde sita monasteria et sedes episcopales aevo Karolino litterarum palmam certatim petiisse, inter res iam paene decantatas habetur. Dedecet philologum non audiisse Turones Aurelianum Floriacum Ferrarias Senones Altissiodorum, non nosse Alcvinos Theodulfos Lupos Heiricos, inter ductus litterarum Turonensium et Aurelianensium nescire primo obtutu distinguere. Attamen una huius historiae pagina nondum perscripta est et quae hic plurimum desideretur. Lupo Petrus componendus est, Miciacum Floriaco.

In sancti Maximini monasterio Miciacensi proxime Aurelianum et Floriacum (hodie Saint-Mesmin de Micy) libri olim vel scripti vel asservati et

[1]) Inter a. 627 et a. 699. Cf. Zangemeister et Wattenbach ad Exemplorum tab. LIX; B. Krusch, Forschungen zur deutschen Geschichte XXII (1882) 489 et in Neues Archiv d. Gesellschaft f. aeltere deutsche Geschichtskunde IX (1884) 135, ibidem Guilelmum Levison XXVII (1902) 362.

[2]) Similiter Lupus Ferrariensis, si quidem is fuit, qui Valerium Maximum nono saeculo scriptum (nunc Bernae n. 366) cum Iulii Paridis codice antiquo contulit, ad verba *arae sacrae* (Valerius Max. ed. Kempf 404, 20) adnotavit: *sic u<etustus>, novus autem 'sacrae arae'*; cf. I. Schnetz, Ein Kritiker des Val. Max., Neuburg a. D. 1901, pag. 16.

[3]) Cf. P. C. Molhuysen, Archiv f. Stenographie LIV (a. 1902) pag. 168.

[4]) Hoc loco non novo suo usus est, sed tantum lectionem a vetere correctore in margine positam inter ipsos versus repetivit.

[5]) Cf. Chatelain, Introduction à la lecture des notes tironiennes, Parisiis a. 1900, pag. 126; idem, Revue de philologie XXVI (a. 1902) pag. 39.

palam profitentes communem ipsorum originem parili inscriptione, quacum dirae contra fures coniunctae esse solent, in variis bibliothecis hodieque exstant hi [1]):

Abrincis

(1) bibl. publ. 32, fol. 137—267: expositio Origenis in epistola Pauli ad Romanos, saec. IX vel X; defixio fol. 138 [2]).

Bernae

(2) bibl. Bongars. 13: Augustini de civ. dei lib. I—XII, scripsit Hato bibliothecarius saec. XI; defixio fol. 10v.

(3) bibl. Bongars. 50: Josephi historiographi antiquitatis Iudaeae libri XII [3]), saec. X, obtulit Augustinus presbyter a. d. VIII Kal. Apr.; defixio fol. 2 et fol. 181v.

(4) bibl. Bongars. 120, fol. 1—93: Chronica Adonis, Caesares Aurelii Victoris [4]), excerptum Abbonis de gestis Romanorum pontificum, saec. XI [5]); defixiones duae a manibus recentioribus fol. 93v.

(5) bibl. Bongars. 283: Gregorii papae regula pastoralis, saec. IX vel X; defixio aequalis fol. 60v et 61, saec. XII fol. 107v.

(6) bibl. Bongars. 312: Isidori episcopi sententiarum libri, saec. IX; defixio fol. 20v et 21 manu recentiore.

(7) bibl. Bongars. 344: Sententiae epistolarum Pauli apostoli a Hieronymo et Gregorio expositae, saec. IX; origo notatur fol. 80v.

---

1) Adiuverunt me in catalogo componendo F. Boll, E. Duemmler, H. Lebègue, P. C. Molhuysen, K. Praechter, S. G. de Vries, P. de Winterfeld. Nec tamen profecissem, nisi fundamenta dudum iecisset Leopoldus Delisle, vir omni laude superior; vide eius Cabinet des manuscrits II 408, III 385.

2) Ubi nihil dico, dirae illae, quibus simul librorum origo indicatur et fures devoventur, a manibus codicum aetati supparibus scriptae sunt; sed Abrincensem codicem nisi ex catologis duobus impressis non novi.

3) Adnotatur fol. 2: *in hoc volumine desunt octo libri Iudaicae antiquitatis, qui per ordinem sequuntur post duodecimum.* Floriacense eiusdem archetypi exemplum pariter mancum in Bernensi 118 habetur.

4) Cf. Chatelain, Paléographie des class. lat. pl. CXCIV.

5) Floriacense apographum nunc Lugduni Batavorum Voss. lat. F. 96.

(7 *a*) bibl. Bongars. 394: hunc esse aut Miciacensem aut Floriacensem Ernestus Duemmler dixit, Neues Archiv d. Gesellschaft f. aeltere deutsche Geschichtskunde II 223; cf. ib. IV 121.

(8) bibl. Bongars. 432: Grammatici latini, saec. IX; defixio non ad finem scripta fol. 55ᵛ.

Lugduni Batavorum

(9) acad. Voss. lat. Q. 17: Epistolae Gregorii CCLIIII, saec. IX; defixio circumcingit folia 40ᵛ et 41.

(10) acad. Voss. lat. Q. 54: Gerberti opera, scripsit Stabilis monachus saec. X ex.[1]); originis nota in ipso libro nusquam comparuit, quem tamen Miciacensem esse probaverunt Nicolaus Bubnov et Julianus Havet.

(11) acad. Voss. lat. Q. 87: Solinus cum altero 'antiquo' codice collatus (vide quae disputarunt Aemilius Chatelain, Revue de philologie XXVI 38, et P. C. Molhuysen, Archiv f. Stenographie LIV 167) saec. IX; quaedam in margine scripsit Warmundus sacerdos; defixionis duorum foliorum margines circumeuntis initium exstat fol. 1ᵛ, altero folio iam exciso non continuatur.

(12) acad. Voss. lat. Q. 110: Hieronymi Chronica; rogante Petro abbate Helias monachus scripsit saec. IX med.; defixio fol. 2 in pagina singulari, originis nota fol. 79ᵛ et 80 in marginibus dispertita.

(13) acad. Bibl. publ. 21: Hegesippus[2]), saec. IX; defixio fol. 112ᵛ.

Aureliani[3])

(14) bibl. publ. 7 (4): biblia sacra, saec. XII.

(15) bibl. publ. 121 (99): missale, saec. XIII.

(16) bibl. publ. 130 (108): missale, saec. XIII.

(17) bibl. publ. 721 (Ms. 56): sacramentarium, saec. XIV.

---

[1]) Scripturae imagines sunt apud Julium Lair, Études critiques sur divers textes des X. et XI. siècles, Parisiis 1899, vol. I pag. 90.

[2]) Miciacensis Hegesippus accedit ad Hegesippos Floriacenses (nunc Bernae 180 et Carnuti 117); hi tres videntur ad archetypum Fuldense descripti esse.

[3]) Notitiam debeo catalogo a C. Cuissard edito.

Parisiis

(18) bibl. nat. lat. 1790: Hieronymus de viris illustribus cum aliis eiusdem operibus, saec. X et XI; defixio fol. 41ᵛ a manu vetustiore.

(19) bibl. nat. lat. 1820: Hieronymus in Ieremiam, scriptus saec. VIII; saec. IX correctus et suppletus a Petro abbate, id quod sic indicatur fol. 1: *liber sancti Maximini relectus a Petro abbate*; praeterea folia aliquot circumdantur singulis litteris originem notantibus [1]).

(20) bibl. nat. lat. 1862: Hieronymus in psalmos (ed. Germanus Morin, Anecdot. Maredsolan. III 1), sequuntur Alcvini interrogationes in genesim cum defixione fol. 82ᵛ; saec. IX scriptus iussu Petri abbatis.

(21) bibl. nat. lat. 1866: Hieronymi epistolae, saec. IX [2]); defixio fol. 207.

(22) bibl. nat. lat. 7521: Beda de orthographia, Wandalberti carmina, saec. IX, Gosberti (fort. Floriacensis) excerpta Priscianea manu recentiore. Wandalberti carmina Miciaci esse scripta probavit Ernestus Duemmler, Neues Archiv III 411; IV 310; Poet. Carol. II 568. 586. 590; solita defixio non adest.

(23) bibl. nat. lat. 15679: Isidorus, Hieronymus, Beda, cet. in sacram scripturam, passio S. Asclae saec. IX. Cingit aliquot paginas (velut fol. 382ᵛ et 383, 226ᵛ et 227) inscriptio sine defixione.

(24) bibl. nat. n. acq. lat. 1572: Augustinus in genesim, saec. IX, prius Miciaci, ut defixione non addita subnotatur fol. 87, tum Turonibus. Cf. Leopoldus Delisle, Collections de M. Jules Desnoyers, Parisiis 1888, pag. 1.

Romae

(25) bibl. Vatic. Reg. lat. 95: Hilarius in psalmos, iubente Petro abbate scriptus saec. IX med.; defixio fol. 229.

(26) bibl. Vatic. Reg. lat. 314: inter varia fragmenta Hilarius in Matthaeum ab Hatone 'armario' scriptus (sc. eodem qui in Bernensi 13 se nominavit) cum defixione fol. 70 [3]).

[1]) Hunc lusum illustrat tabula apud comitem Bastard XXXII. Ab eodem alia scripturae exempla ibidem exhibentur, item a Benedictinis in Nouveau traité tertio volumine et a Leopoldo Delisle, Cabinet des manuscrits tab. XVI 1.

[2]) Ante a. 887; vide Leopoldum Delisle, Cabinet des manuscrits III 256. Scripturae specimen ibid. tab. XXVI 6.

[3]) Invenit Leopoldus Delisle, Bibliothèque de l'École des chartes XXXVII 490; cui notitiam meam acceptam refero.

(27) bibl. Vatic. Reg. lat. 1263: varia de computo saec. XI et XII Miciaci scripta, ut coniecit Leopoldus Delisle [1]).

(28) bibl. Vatic. Reg. lat. 1953: Isidori origines, saec. IX; fol. 3^v post versus ab Arevalo editos (Patrol. lat. ed. Migne LXXXII 729) inscriptio brevis a manu recentiore.

Hos inter codices

7ª. 10. 22. 27 nullam inscriptionem habent,

14. 15. 16. 17 num habeant nescio,

7. 19. 23. 24. 28 non habent diras, sed sola verba *hic est* (*hic est* om. 7) *liber sancti Maximini* (*Maximini* eras. 24. 28) *Miciacensis* (*Miciacensis* eras. 24, om. 28 cf. infra 2. 26) *monasterii* (*monasterii* om. 24. 28),

9. 11. 12. 19. 23 habent inscriptionem per binarum in singulis codicibus sibi oppositarum paginarum margines noto lusu dispositam [2]).

1. 2. 3. 4. 5. 6. 8. 9. 11. 12. 13. 18. 20. 21. 25. 26 (5. 6. 8. 11 varias ob causas non plene) testantur inscriptionem una cum diris hanc:

I *hic est liber sancti Maximini* (*Maximini* eras. 1. 4. 9. 11. 12. 13) *Miciacensis* (*Miciacensis* eras. 1. 4. 9. 11. 12. 13, om. 2, 26, *Miciacemsi* 8) *monasterii* (*monasteri* 12, om. 26) omnes

II *quem* 2. 3. 12. 20. 25. 26

Petrus abbas (*abba* 20) 20. 25, *Helias monachus rogante Petro abbate* 12, *Agustinus prbr* 3, *Hato bibliotecharius* (*armarius* 26) 2. 26

scribere iussit 20, *scribere iussit et proprio labore providit et distinxit* 25, *scribere fecit* (post *deo et sancto Maximino*) 26, *scripsit* 12, *fecit* 2

et (*Petrus* add. 12) *cum salutari hostia* (*c. s. h.* om. 25) 12. 20. 25

die (*diae* 25) *sancto* (om. 12. 25) *caenae* (20, *caene* 12. 25) *domini* 12. 20. 25, *die VIII Kl. apr.* 3 (fol. 181^v)

super sanctum (*sacrum* 25) *altare sancti Stephani martyris* (*m.* om. 25, *primi in Christo martyris* 20) 12. 20. 25

---

[1]) Cf. Bibliothèque de l'École des chartes l. c.; Beissel, Vaticanische Miniaturen pag. 12.

[2]) De quo vide Delisle, Cabinet des manuscrits II 408. Imago exempli Miciacensis supra laudata est ad n. 19 catalogi nostri; Floriacense exemplum repraesentatur a Leopoldo Delisle, Catalogue des manuscrits des fonds Libri et Barrois, tab. VII 1.

deo et sancto Maximino 3. 12. 20. 25. 26

habendum abstulit 3. 12. 20. 25

sub huius modi voto 3. 12. 20. 25, *tali tenore* 26

III *quem* (*quam* 8) *si quis* (*quisquis* pro *s. q.* 1) 1. 2. 4. 5. 6. 8. 9. 13. 16. 21, *si quis cum* 11, *ut quisquis* (*si quis* 20) *cum* (om. fol. 181ᵛ 3) 3. 12. 20. 25. 26

de (*ab* 11. 26, *ex* 6) *isto* (*istoc* 8, *ist* 9, *ec* 20) *loco* 1. 3. 4. 5. 6 (sed post proximum comma). 8 (hic finiens). 9. 11 (post proximum comma). 12. 13. 18. 20. 21. 26, *inde* 25, om. 2

aliquo (*alico* superscr. fol. 2 3) *ingenio* 3. 4. 5. 6. 11. 12. 13. 16. 21. 25, *furto* 2, *suadente diabolo* priore loco 4, *per ammonicionem diaboli* 6, om. 20. 26

non (hic finit 11, *nun* 6) *redditurus* 3. 4. 5. 6 (hic finiens). 9. 12. 13. 18. 20. 21. 25. 26, om. 1. 2

abstulerit 1. 3. 12. 18. 20. 25, *abstulerit vel violenter rapuerit* 2, *abstraxerit* (*abstrascrit* fol. 107ᵛ 5. 9) 4. 5. 9. 13. 21. 26

IV a. *cum Iuda proditore, Anna* (hic finit fol. 61 5) *et Caipha* (*Cayfa* 4, *Caypha* fol. 181ᵛ 3, *Kaypha* 9) *atque* (*adque* 9, om. 5. 13) *Pilato* (*Pylato* fol. 181ᵛ 3, om. 5. 13) 3. altero loco 4. 12. 13. 18. 20. 21. 25, *cum diabolo* 26

damnationem (*damnacionem* 4, *demnationem* 9, *dampnationem* 18. 20. 21) *accipiat* 3. altero loco 4. 12. 13. 18. 20. 21. 25. 26

IV b. *anathema sit* 1. 2 IV c. *maledicatur* priore loco 4

V *amen* 2. 3. priore loco 4. fol. 107ᵛ 5. 13. 18. 21. 25, *amen fiat* 26, *amen amen fiat fiat* altero loco 4, *fiat fiat fiat fiat* 9, om. 1. 12. 20.

